audiret. Preterea multas alias adversitates et sui contemptum et verba, que ei sepe dictus Cunradus, ne a suo proposito laberetur, intulit, cum maxima paciencia et gaudio dei famula sustinuit. In his omnibus sepedicte religiose femine Ysendridis videlicet et Guda per omnia concordant, juramento vera videlicet esse affirmantes, sigillatim examinate, et unde hoc scirent requisite, responderunt quod oculis suis ea vidissent, multis annis beate Elyzabeth commorate.

(Cap. [illegible])

Cum beata Elyzabeth post mortem suam multis et magnis corruscaret miraculis, bone indolis adolescens Cunradus lantgravius Ludewici germanus, oracionibus haut dubium sancte Elyzabeth adjutus, mundi hujus honores, divicias et gloriam contempnens, ad ordinem domus Theutonice se convertit. Magister Cunradus eundem adolescentem honestis moribus informaverat et mundi contemptum persuaserat. Ut autem de bono efficeretur melior, dei gracia adjutus et inspiratus, perfectionis viam eligens, non sine ammiratione multorum miliciam hujus